

quemadmodū superius diximus, Gnostici. Quam-  
 quam enim vulgò Catharos & Nouatianos eosdē  
 omnino faciunt, & tunc καθαρῶς dicantur, quatenus  
 à reliquo Christianorum hominum cœtu se tan-  
 quam sanctiores separant: tunc autem Nouatiani,  
 quatenus à suo denominantur parente: statui ta-  
 men potest aliqua inter vtrosque differentia, vti in  
 hypothēsibus videbimus. Appellantur autem e-  
 tiam hi ipsi à Græcis Meletiani, de cuius nominis  
 & erroris secta postea dicemus. Ergo primū Noua-  
 tiani dicti sunt. Exiit autem & innotuit No-  
 uatus hæreticus tempore Cornelii episcopi Ro-  
 mani, Cypriani Carthaginensis episcopi, & Decij  
 imperatoris, circa annum à Christo passo 220. Ca-  
 tharorum autem appellatio postea iis addita fuit  
 sub Stephano Romano pontifice, & Gallo atque  
 Volusiano Impp. circiter annum post Christum  
 passum 223. quanquam hæ voces confunduntur,  
 quemadmodum apparet ex Catalogo & Indica-  
 tione hærescōn, in historia Ecclesiastica, Theodo-  
 reto lib. 3. Hæreticarum fabul. Eusebii historia, &  
 concilij Niceni artic. 9. quem refert Ruff. libr. 1.  
 hist. cap. 6. separantur tamen ab Isidoro lib. 8. & a-  
 liis, qui Catharos Nouatianorum fruticationem  
 appellant. Fuit autem Nouatus, non autem Noua-  
 tianus huius sectæ primus author, quanquam ea-  
 dem ætate vterque vixit, sed in vtroque distin-  
 guendo falluntur multi. Nouatus enim fuit Afer  
 natione, & virus suum in Africa primū post per-  
 sequutionē Decianam sparsit, aduersus quem Cy-  
 prianus libro 1. Epist. 5. & lib. 4. cap. 2. edidit multa.  
 sed tantum nominis celebritate valuit, vt etiam à  
 Cornelio episcopo Romano Ecclesiæ presbyter